

Ec. 13. 4to



ΕΥΦΡΟΝΙΑΣ ΜΕΤΕΓΑ:

IN N V P T I A S

CLARISSIMI, ET DO-

CTISSIMI VIRI M. BALTHA-

ZARIS KISVETTERI, iterum Sponsi:

& pudicissimæ Virginis ANNÆ, filia Am-

plissimi, & prudentissimi Viri, Christophori

Guntheri, ciuis, & senatoris Reipub. Cha-

micensis primarij, celebratas Cha-

micij VII. Calend. Febr.

Anno:

DoMInVs aVXILlabltVr nobls.



VVITEBERGÆ

Excudebant Heredes Iohannis

Cratonis.

MDLXXX



VOTVM SPONSI.

A N NA thori confors vit A mihi carior ipf A
N ostra admirandum co N iūxit pectora flame N
N ostra diu seruet diui N um corpora Nume N
A c faciat nobis conting A t vita quiet A.

Dlligit vt sponsam flagranti sponsus amore :
Sic casto sponsam fœdere Christus amat.
Omnia coniugij laus hæc encomia vincit,
Mystica quòd Christi sponsus imago Dei est.
Condidit è costa sponsam, adduxitq; marito,
Et cordi flammam indidit ipse sacras.
Scilicet arcani quia vult hoc fœdus amoris,
Magnum argumentum fœderis esse sui.
O sponso fidos Christo, bis, terq; beatos,
Quos erga tanto flagrat amore **DEVS**.
O fortunatos, animi quos copulat idem
Consensus, tabula non prohibente Dei.
Prodeat ergo nouus felici sidere sponsus,
Prodeat & fausto sidere sponsa noua.
Quos prius ignotos miro **DEVS** omine iunxit,
Atq; sacrum iussit fœdus inire tori.
Progrediantur, & instaurent socialia sacra,
Inter amicorum vota, fauente Deo.
Nec tantum caro sint eadem, sed mens sit vtrisq;
Vna, duos Christi spiritus vnus agat.
Nestoreosq; dies casto sic fœdere iuncti
Multiplicent: voti summa sit ista mei.

M. VVolf. Amlingus, populari,
compatri, & fratri suo faciebat, vt in-
tegerrimo, ita longè carissimo.

A L I V D.

Dum comitem iungit se *Kiswetterus* amico
 Ad fœdus liciti connubiale thori.
 Sollicitas mœsto seponit pectore curas,
 Tristia quas viduo fata tulere viro.
 Vrbs, à maiori cui sunt data nomina luco,
 Ad Rhederæ ripas non inamœna iacet,
 Hac alijs iunctus dulcis conuiuia moratur
 Baldasar, & somnum, nocte silente, capit.
 Nox vbi transiuit, cœlumq; rubescere cœpit,
 Somnia (ni fallor) talia mente videt:
 Aduolat in thalamum pharetra succinctus & arcu,
 Luminibusq; carens & sine veste puer.
 Incipiens tenero iaculum vibrare lacerto,
 Vt feriat tepido pectora nuda thoro.
 Ille dolum cernens, & vulnera sœua minantem,
 Pallet, & in toto corpore membra tremunt.
 Attamen excusso, dat talia verba, timore:
 Parue puer noli tingere cæde manus,
 Hospes in hanc venio, reliquis comitantibus, urbem,
 Grataq; posthabitis gaudia quæro malis.
 Si quis amat, Scythicis liceat versetur in oris
 Nemo adeo, vt noceat, barbarus esse solet.
 Crede mihi non est legatos lædere tutum,
 Plectitur à iusto vis scelerata D E O.

Adde

Adde nouenarum quod sim pars vna sororum,
Quas impune hominum ledere nemo potest.
Mæonides etenim cupiens violare Pyreneus
Sœuus, ab arce ruens sanguine tinxit humum,
Ergo puer nequam celeres absconde sagittas,
Laus erit à doctis abstinuisse manus.
Ridens ille refert, Veneris qui castra secuti,
Si nescis, telis succubuere meis.
Nonne vides vestri vulnus miserabile sponsi,
Quod tædas remorans, me feriente, tulit.
Pectus enim certo cupiens transfigere telo,
Vulnerat innocuum fortè sagitta caput.
Sic ait: & nitido rumpit præcordia ferro,
Lethalem didicit tangere namq; locum.
Et mox è thalamo celeri volat ocyor Euro,
Cum pueroq; simul somnus amicus abit.
Territus in cubitum releuat sua membra sinistrum,
Tangit & admota tristia corda manu.
Nescit enim veros an sentiat ipse dolores,
Aut sibi quid tacitæ noctis imago velit.
Somnia de lecto surgens sua narrat amicis,
Quilibet his magnum pondus inesse putat.
Fortè peregrinæ noua dum simulacra puellæ
Commemorat, blando rettulit illa sono:
Nuper vbi dulcis premeret mihi somnus ocellos,
Territa sum simili sola relicta modo.

A 3

Venit

Venit enim tacitæ per amica silentia lunæ
 Consociata gerens turba minuta faces:
Et fuit hanc inter multò petulantior vnus,
 Cuius ego flammis saucia corda tuli.
Ac nisi me fallit species occulta quietis,
 Iam videor certam corpore ferre notam.
Nescio præterea quid clam mihi dixit in aurem,
 Quod iubet ingenuus dissimulare pudor.
Hæc precor in melius DEVS vt mea somnia vertat,
 Nec tua significant deteriora meis.
Non semper fallunt turbantia nocte quietem,
 Sed partem veri somnia sæpè tenent.
Approbat hos hodierna dies, qua vulnus vterq;
 Detegit, & medicam poscit & optat opem.
Vulnera qui fecit, rursus remouere dolores
 Si libet, arte potest, insidiosus amor.
Non opus est varijs, quas tellus protulit, herbis,
 Vix curant medicæ saucia corda manus.
Ars noua nos docuit flammis extinguere flammis,
 Possumus hoc vno damna leuare modo.
Qui negat occulto fieri connubia fato,
 Desipit, & curæ nos negat esse Deo.
Ergo tibi blandam, tribuunt quam fata, puellam
 Accipe, perpetui munus amice DEI.
Diuitias nobis possunt cumulare parentes,
 Et dare frugiferi iugera parta soli:

Sed

Sed mulier pietatis amans, formosa, pudica,
Hæc datur à solo, qui regit astra, DEO.
Si genus, & proavos, & fidos quæris amicos,
Hæc bona Guntheri dat tibi clara domus.
Vrbem, quam veteres quondam coluere Chamani,
Exornans, plano conspicienda foro.
Grataq; si spectes non pictæ munera formæ,
Quæ non postremo sunt celebranda loco:
Illius est facies roseo perfusa rubore,
Membraq; sunt gelida candidiora niue.
Et quantum superat stellas splendore micantes
Lucifer, Eoo qui vehit axe diem:
Tantum formosas vincit tua sponsa puellas,
Quas ibi præstantes Misnia diues habet.
Te tamen haud niuæ capit oblectatio formæ,
Hanc nisi commendet religionis amor.
Vidi ego formosam caput erexisse puellam,
Cervus vt in siluis cornua ferre solet.
Et vidi rursum, iuueni cum blanda fuisset,
Amisssa miserè virginitate queri.
Poma nimis rubicunda solent citò rodere vermes,
Pulcra minus durant inuiolata diu.
Sit satis hæc formosa viro, quæ spernere mundum
Et toto didicit corde placere DEO.
Plus tamen in pulcra pietas laudatur amica,
Iure datur docto pulcra puella viro.

A 4

Sponsa

Sponsa gerit castos formoso pectore mores,
Iure datur docto virgo pudica viro.
Sint satis haec: restat fidas coniungere dextras,
Ut iubet aeterni lex veneranda DEI.
Qui sacra legitimi contemnunt foedera lecti,
Corda libidinibus commaculata gerunt.
Ergo precor castis felicia sidera sponsis,
Et bene composito pignora multa thoro.
Vestra liget firmo dulcis concordia nexu
Pectora, sit vobis non simulatus amor.
Viuite Mathusale in Christo feliciter annos,
Nec turbent vestram tristia fata domum.

Ioannes Francus Medicinæ Do-
ctor affini suo faciebat.

ALIVD.

INstituit summus rerum moderator, Amorem
Blandum, non, que fax, Cypriadiua, mali est.
Numen is est castum, castos sic approbat ignes,
Atque omnes casta viuere mente iubet.
Diuinum quiddam est thalamus, non sanctio Vatum,
Lex non est Moses, non Helisae tua.
Fœdera Eremita haud Antonius urget inire
Talia, nec vitæ lex Benedicte tua est.
Lecti sed casti Deus author trinus, & vnus,
Humani primus sanguinis ille sator.
Coniugium iccirco laudemq; decusq; meretur,
Autorem fas est concelebrare **D E V M**.
Res taurator is est viridanti primus in horto,
Spirat odoratas qua Paradisus opes.
Est coniuncta viro costa his felicibus hortis,
Angelici sedem quæis habuere chori.
Sancita hæc lex est, cum nondum fraude Draconis
Rapta erat ad vetitos, fœmina prima, cibos.
Arbor nec thalami sterilescit germine, nanq;
Kαπρωρον socium nouimus esse torum.
Principe ceu mundus non est sine sole, fauore,
Iucundatorus est nec sine prole, **D E I**.
Summo igitur regi est gratissima vita iugalis,
Splendet ubi pietas, sobria vita, pudor.
Felix quem flectit, quem sanctio numinis urget,
Vincula legitimi sacra subire tori.
Qui castæ exoptat connubia pectore casto
Virginis, exequitur iussa verenda **D E I**.
Casti nam Domino, mens est qui casta, probantur,
Excelsum casti dona pudoris amat.

Non

Non licito sed qui furit, & torquetur amore,
 Turpiaq; incesti comprobat acta tori.
 Temnit is humana radicem, & semina gentis,
 Temnit honestatem reprobus, atq; DEVM.
 Gaudia, dispereant, quicunq; iugalia spernunt,
 Et vana porci virginitate tument.
 Lecti disrumpunt socialis pacta, Sophista,
 Rasa cohors, stygio patre Dracone sati.
 Nec Monachi, quorum stomachi sunt amphora Bacchi,
 Viunt in casta virginitate py.
 Tetra sed Ausonij documenta parentis adorant,
 Spernit qui fœdus connubiale tori.
 Ausonij prohibent Hymeneia gaudia ventres,
 Sed Paphia hos matris feruidus vrit amor.
 Sectatur quicunq; DEVM, quicunq; pudorem,
 Pectora legitimo cuius amore calent:
 Dogmata deuoeat Latij fœdissima patris,
 Omnis enim sunt hæc fons & origo mali.
 Patris at aeterni legem veneretur, & dret,
 Ne Damon thalami gaudia turbet atrox.
 Gratulor ergo tibi tali de munere vitæ,
 Saluæ Phœbei splendor, honosq; chori.
 Ergo iterum salue, quem ter tria numina templi
 Virginei ornarunt laudis honore nouo.
 Sacris nam precibus DEVS annuit, ECCE pudica
 Sponsa tuo lateri iungitur, atq; pia.
 Tœdis gratamur lati, coniungimus omnes
 Ardentes pro te voce gemente preces.
 Nunc firmetur opus, bene quod cœpistis, honestum,
 Nexu iungantur pectora vestra pio.
 Optime Sponse, genu venerando in nomine Christi
 Nunc flecte, & grates ore tremente refer.

Sponse

Sponse refer grates, surgit post nubila Phoebus,
 A c tibi post tempus flebile, dulce redit.
 „ Omnia sic semper commiscet tristia latis,
 „ Sic leta & contra tristibus, ipse DEVS.
 Det, precor, unanimem, suauicunq; coniuge vitam,
 P acem, tranquillos, & sine lite, dies.
 Vobis concedat, cui sunt connubia cura
 O mnia, fecundi germina mille tori.
 Saluator vite gaudens hoc munere, presens
 N on renuat larga munera ferre manu.
 Prospera diuino succedant numine cuncta,
 S uccessumq; addat spiritus ipse bonum.
 Christus homo e sponsa natus, sponsusq; vocatus,
 A ssidue his sponsis adsit, opemq; ferat.

Notatiuncula.

Hexametri versus si quaeq; vocabula iunges
 Ordine, tunc versus sex tibi constituent.
 Versus Pentametri si singula reuocata iunges,
 Et Sponsi, & sponsa nobile nomen habes.

Ἐπίστιχον.

EST AVTOR IHALAMI DEVS IPSE & VNIUS & VNVS.
 Adde duo, & numerum collige, plenus eris.

ALIA

ALIA GRATVLATIO GRÆ

CA, EX SALOMONE, EODEM

AVTORE. PROV. XVIII.

ἮΝ θεῶ ἐυρίσκων ἄλοχον φιλόχρῆσιν, ἄχραντον,
Ἐυστργον, σεμνὴν, λαδῆ ἠδὲ σφλῶ :

Ἐυρίσκει πάντως μεγάλοιο χάρισμα Θεοῦ,

Καὶ παρὰ ᾧ χρεῖσῃ τὰ φίλα πάντ' ἀγαπῆ.

Σοὶ δὲ δῆα παιδοτόκον γάμον ἔυχομ' ἀνάκλυτε γαμβρῆ,

Παιδέυτ', ἀνομίας δῶρε καὶ ἑὸν ἀγαθῆς.

Εἰρήνην τε βιοσόον ἔυχομαι, ἀμβροσίαν τε

ζωὴν, καὶ θαλερῆς δῆθμόν ὁμοφροσύνης.

Ἐπὶ ᾧ χρεῖσῃ σωτῆρῳ,

DoMIne reX tibi sit LaVs VniVersa.

*Præptori suo gratitudinis ergo scri-
bebat Matthæus Boierus Lu-
dimoderator Görzensis.*

F I N I S.

Cl 4160

ULB Halle


3


003 485 978



me








IX.

Εὐφροσύνας μέτρας:

IN N V P T I A S
CLARISSIMI, ET DO-
CTISSIMI VIRI M. BALTHA-
ZARIS KISVETTER, *iterum Sponsi:*
& pudicissimae Virginis ANNÆ, filiae Am-
plissimi, & prudentissimi Viri, Christophori
Guntheri, ciuis, & senatoris Reipub. Cha-
micensis primarij, celebratas Cha-
micij VII. Calend. Febr.
Anno:
DoMInVs aVXILia bñt Vr nobls.



WITEBERGÆ
Excudebant Heredes Iohannis
Cratonis.
M D L X X X

5